

magnum est stare in Danubii ripa, si transeas, certum triumphi; nec decertare cupere cum recusantibus: quorum alterum fortitudine, alterum moderatione efficitur. Nam' ut ipse nolis pugnare, moderatio; fortitudo tua praestat, ut neque hostes tui velint. Accipiet ergo aliquando Capitolium non inanes currus, nec falsae simulacra victoriae; sed imperatore veram ac solidam gloriam reportante, tranquillitatem, et tamen confessa hostium obseqnia, ut vincendus nemo fuerit. Pulcrius hoc omnibus triumphis. Neque enim unquam, nisi ex contemtu imperii nostri factum est, ut vinceremus. Quod si quis barbarus rex eo insolentiae furorisque processerit, ut iram tuam indignationemque mereatur: nae ille, sive interfuso mari, seu fluminibus immensis, seu praecipi monte defenditur, omnia haec tam prona, tamque cedentia virtutibus tuis sentiet, ut subseditisse montes, flumina exaruisse, interceptum mare, illatasque sibi non esse classes nostras, sed terras ipsas arbitretur.

XVII. Videor iam cernere non spoliis provinciarum, et exterto sociis auro, sed hostilibus armis, captorumque regum catenis triumphum gravem. Videor ingentia ducum nomina, nec indecora nominibus corpora noscitare. Videor intueri immanibus ausis barbarorum onusta ferula et sua quemque facta vinctis manibus sequentem: mox ipsum te sublimem, instantemque curru domitarum gentium tergo, ante currum autem clypeos, quos ipse perfoderis. Nec tibi opima desuerint, si quis regum venire in manus audeat, nec non modo telorum tuorum, sed etiam oculorum minarumque conjectum, toto campo, totoque exercitu opposito, perhorrescat. Meruisti proxima moderatione, ut, quandocunque te vel inferre, vel propulsare bellum coegerit imperii dignitas, non ideo viciisse videaris, ut triumphares, sed triumphare, quia viceris.

XVIII. Aliud ex alio mihi occurrit. Quam speciosum est, quod disciplinam castrorum lapsam extinctamque refo-